

DE SUBSEQUENTI OPERE

Vide librum 2, cap. 13, Retractationum, t. 1, col. 635, a verbis, Liber cuius est titulus, Annotationes in Job, usque ad verba, Ei super terram. M

Etatem subsequentis opusculi non hic significavit Augustinus, nisi ipsa Retractationum serie, in qua locum illi opusculo medium tribuit inter libros circiter annum 400 elaboratos, recensuitque illud aliquando ante opus quod contra Petilianum Literas, Anastasio in Romana cathedra sedente, ex lib. 2, c. 51, adeoque non serius anno 402 conscriptum fuit.

S. AURELII AUGUSTINI  
HIPONENSIS EPISCOPI  
ANNOTATIONUM IN JOB

Liber unus (a).



[Job cap. 1.] *Et opera magna erant ei super terram : quia operabatur de ipsis operibus. Faciebant convivium quotidie, donec eorum numerus impleretur.* Signum est caritatis. *Et offerebat pro eis victimas, secundum eorum numerum.* Intelligendum, alias esse peculiarias confessiones, quasi singulas victimas; aliud vero sacrificium pro omnium et pro omnibus peccatis, quod significat dicens <sup>1</sup> : *Ne forte peccaverint filii mei, et maledixerint Deo in cordibus suis.* Bene additur, *Ne forte*; quia in corde eos maledixisse suspicabatur. *Et ecce venerunt Angeli Dei, ut starent coram Deo.* Affectio animæ ad veritatem non potuit aliter narrari, nisi temporaliter et localiter quodam modo diceretur. *Et venit equidem diabolus cum eis.* Utrum quia non potuit, nisi per eos audire, dictum est, *cum eis.* *Et dixit Dominus diabolo : Unde ades ?* Collatio præteritæ actionis cum eo, unde permittitur aliquid deinceps agere, responsio ad interrogationem est : ipsa vero interrogatio vis divina est, in qua non permittitur agere quod libet. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit* (Sap. 1, 9), ad manifestandum eum nobis. *Sed misce manum tuam, et tange omnia quæ habet ; da potestatem. Nisi in faciem tuam benedixerit tibi.* Pendens locutio, id est, Si non tibi in faciem benedicit tactis rebus suis, quasi subaudiretur, quid jubes ? *Et discessit diabolus a facie Domini : a consultatione ad actionem. Et venerunt hostes et ceperunt eos.* Secundum illud, *Qui nunc operatur in filiis diffidentia* (Ephes. 11, 2), etiam istos excitavit. Notandum autem quomodo in hominibus habuerit potestatem, et in elementis, sed tamen datam a Deo. *Nudus esii de utero matris meæ.*

Notandum quam consolatorie <sup>1</sup> loquatur, quamvis secundum consuetudinem luctum fecerit.

[Ib. 11.] *Ecce trado illum tibi ; tantum animam ejus custodi :* ne vitam eripere posse præsumeret. *Et tulit sibi testam, ut raderet saniam.* Per passionem Domini significat radi peccata confitentium.

[Ib. 111.] *Et nox in qua dixerunt, Conceptus est homo.* Alique superiores potestates, quæ hoc scire poterunt. *Nox illa sint tenebræ ;* ne patiatur jam quæ passus est. *Nox illa sint tenebræ ;* id est, sit oblivioni. *Neque requirat eam Dominus desuper.* Non reparatur per immortalitatem ; id est, pereat mortalitas. *Nec veniat in eam lumen :* lumen memoria. *Sed excipiant illam tenebræ et umbra mortis :* vita ista, quæ umbra est futuræ poenæ ; ut sit sensus, Justus qui lumen est, non eam videat, sed tenebræ, hoc est peccatores et carnales tribulationes de vita ista. *Et conturbent eam, quasi amaritudines diei :* præcepta bonæ vitæ, vel dies iudicii, quibus perturbantur carnales. *Et noctem illam accipiant tenebræ :* perpetuæ. *Non sit in diebus anni :* justis spiritualibus qui sole fruuntur, et majores sunt. *Sed nox illa sit dolor :* quia dolorem facit diligentibus se. *Neque numeretur in diebus mensium.* Justi in Ecclesia propter luam tanquam minorem : ad quos dicitur, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus* (1 Cor. 111, 4) ; ut ipse Paulus sit de diebus anni. *Sed maledicat illam maledicens illi diei :* Dominus, qui maledicit amantes carnalia. *Tenebrescant sidera noctis illius :* eminentes in peccatis. *Permaneat, et in lucem non veniat.* Quia non convertentur, dicit per prophetiam <sup>2</sup>. *Quia non conclusit portas ventris ma-*

ADMONITIO PP. BENEDECTORUM.

Recensitus fuit hic liber ad Mss. Victorinæ bibliothecæ duos, Regiæ unum, Navarric Collegii unum, ad Beccensem et Floriacensem, ad varias lectiones ex uno Ms. Belgico descriptas : necnon ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., t. 1, memoratas. M.

<sup>1</sup> Sic Ms. Regius. At Victorinus codex, quod significat Deum. Am. Er. et duo Mss., quod significat Dominum. Lov., quod significat ante Dominum.

(a) Scriptus circiter an. Christi 400.

<sup>2</sup> Duo Mss., consolatoria.

<sup>3</sup> Ibi, per Prophetam. At Mss., per prophetiam.